

II R
3624





PERANTIQUÆ ELECTORALIS ACADEMIÆ
ERFVRTENSIS

RECTOR

MODO ORDINIS IVRECONSULTORVM DECANVS
**D. RVD. CHRISTOPH.
HENNE, ICTVS**

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CON-
SILIARIO REGIMINIS ORD. ICTORVM ET IVDICII ELE-
CTOR. PROVINCIAL. ADSESSOR NEC NON CODICIS
ET IVR. FEVDAL. PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIVS,

SOLEMNIA INAVGVRALIA

NOBILISSIMI ET CLARISSIMI IVRIVM CANDIDATI

DN. IOANNIS FRIDERICI SCHOLZE,

ZITTAVIA - LVSATI,

ADVOCATI ELECT. SAX. IMMATICVLATI

AD DIEM VI. APRILIS MDCCLXVIII.

IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI
PERAGENDA

INDICIT,

SIMVLQVE DE

**SOLVTIONE IN GRAVIOREM
CAVSAM IMPVTANDA,
*QVÆDAM PRÆFATVR.***

ERFORDIÆ,

AERE HENR. RVD. NONNII, ACAD. A TYPIS.

§. I.

Quemlibet solutionem præstantem, & obligationi satisfacientem, certam posse dicere legem, in quam velit causam imputare id quod soluit, expressis conuenit legum verbis a) eaque etiam non pertinent solum ad debitorem, sed ad creditorem etiam pignus iudiciali auctoritate distrahentem b) creditor enim dominium consequitur pecuniam ex vendito pignore redacta, debitor autem est dominus pecuniam soluenda, ita, ut utrique tamquam moderatori & arbitro non sit deneganda facultas debito ex pluribus causis orto, unam eligendi, ac declarandi, in quam, pecuniam, vel aliam velit causam, solutam habere c)

a) l. 1. ff. de solut.

b) l. 48. ff. de pactis.

c) l. 101. §. 1. ff. de solut.

§. II.

Hæc, uti firmo stant talo, mente debitoris vel creditoris expresse declarata, ita sæpe interpretibus crucem figit quaestio, quid in dubio statuendum, & quam in causam debitum tunc sit imputandum, si vel plane non, vel obscure saltim mentem vel creditor vel debitor declarauerint? ad præsumptiones tunc esse recurrendum, & ex iis, tamquam ex fontibus in iure nostro sapissime utramque paginam facientibus rem esse decidendam, nemo erit, qui in dubium voca-

*

re

re velit. Omnis enim præsumptio probabilitate quadam nititur, hæc autem quam proxime accedit veritati, & hinc partem constituit illius, ac eo magis est attendenda, quo pluribus gradibus gaudet, a)

a) Hanc omnem doctrinam admodum solide explanatam, & ad Iurisprudentiam applicatam, dedit Auctor Gundlingianorum continuatorum parte 3. num. 1.

§. III.

Cum igitur tali in casu, præsumptiones omne punctum ferant, hinc ipsa leges casu dubio existente, ad illas recurrunt, ac definiunt, quod neque creditore neque debitore aperte mentem deciarante, in eam causam solutio accipienda sit, in quam ipse creditor, si ex debitoris stare parte, illam præstaret a) hanc vero esse grauiorem & duriolem, ac debitori maiores creantem molestias, res ipsa præeunte legum norma, loquitur b) hancque sententiam præiudicio confirmat, vir elegantiori iurisprudentiæ natus, IVSTVS HENNINGIVS BOEHMER c)

a) l. 1. ff. de solut.

b) l. 3. in princ. ff. de solut.

c) Consultat. & decis. tom. 3. parte 3. decis. 704. num. 7. seq.

§. IV.

Operæ igitur pretium facturi sumus, si grauiores has & duriores causas, prælucentibus legum verbis, strictim percurramus, spectat autem hanc in classem 1) debitum quod duplici vinculo est coarctatum, illique vel fideiussor vel pignus aut hypotheca accessit, certe quod ad debitum pignoratitium atinet, durissima illius est causa, cum creditor non actione personali solum, pulsare possit debitorem, sed & reali

ali hypothecaria agere, pignus persequi, & solutione non facta, illud distrahere a) ex qua distractione gravissimum in debitorem redundat damnum, imo & gravius, quam in fideiussione, utpote in qua tunc demum regulariter fideiussor excutere solet principalem debitorem, si ad præstandam solutionem fuit adactus, conf. IOSEPHVS AVERANIVS b)

a) l. 7. in fine ff. de distract. pign.

b) Interpretat. iuris lib. 5. cap. 32. num. 6. 7.

§. V.

Nec minus 2) in numerum harum causarum referimus, illud debitum, quod ex causa iudicati post elapsam quatuor mensium spatium adhuc debetur, ex causa enim iudicati non solum pignora adhuc debentur, & usura debentur a) sed etiam æqualis est obligationi pœnali b) imo etiam elapso post rem iudicatam quadrimestri spatio, usura centesima debentur c) illaque etiam hodie adhuc obtinent d)

a) l. 7. §. proinde ff. de solut.

b) dicta lege 7.

c) l. 2. & 3. C. de usuris rei iudicatæ.

d) commentatio nostra, de usurarum centesimarum usu hodierno in casibus iure Romano expressis 1742. edita.

§. VI.

Causa, quæ vitam, famam, pœnam, membri amissionem coniunctam habent, 3) in hunc censum veniunt a), quod si vero, uti facile fieri potest, plures eiusmodi, vel omnes huius furfuris causa, simul debitorem affligant, eo erit respiciendum, quam præ reliquis debitori maiorem creet molestiam, maiusque inferat damnum, ita v. g. extra omnem dubitationis aleam positum est, vitæ causam, pœnam pecuniariam longo post se relinquere interuallo, imo & vitæ amissio-

tionem, famam amissione, esse potiorum, illamque magis auertendam esse, quam hanc, conf. BERGERVS b)

a) l. 97. ff. de solut.

b) in oeconomia Iuris lib. 3. tit. 15. nota 8. n. 3.
§. VII.

Ulterius 4) durior est causa vsurarum, quam fortis vsura enim de momento in momentum currunt, ac crescunt, cum e contra fortis quantitas nulla admittat incrementa a) supponuntur vero vsurae certae & in praesenti debita, non vero in diem, & sub conditione solvenda, cum harum longe alia sit ratio, & nondum existente conditione, vel nondum veniente die, grauis causa illarum haberi non possit, conf. BOEHMERVS b)

a) l. 1. C. de solut.

b) consultat. & decis. tom. 3. parte 3. decis. 704. num. 18.
§. VIII.

Porro 5) grauior habetur causa, qua proprio contracta est nomine a) & ubi quis principalem representat debitorem, utpote qui a creditore in regula ante omnia est conueniendus, & fideiussor demum in subsidium excutiendus, accedit & haec ratio, quod ex regulis aequitatis aliquis potius censetur se exonerare velle proprio, quam alieno debito, quia alienum fortassis debita adhibita circumspectione plane potest declinari.

a) l. 97. ff. de solut.

§. IX.

Denique 6) debitum, quod antiquitate & prioritare temporis, reliqua praecellit, ante omnia, tamquam grauius erit soluendum a) debitum enim prius tempore, potius debet esse iure solutionis. Quodsi vero non appareat, quodnam

nam

nam prius, quodnam posterius sit, vel etiam quamnam causa reliquis grauior existat, ex omnibus debitis pro rata videtur esse solutum b)

a) l. 24. ff. de solut.

b) l. 8. ff. de solut.

Praemissis hisce, nunc ad illam nos conuertimus personam, quæ huic commentationi ansam dedit, & quæ vberioribus illam in cathedra publica continuabit, sermonibus auspicialia sua nimirum specimina edet,

NOBILISSIMVS AC CLARISSIMVS

DN. IOANNES FRIDERICVS SCHOLZE,

ZITTAVIA-LVSATVS,

ADVOCATVS ELECT. SAX, IMMATRICVLATVS,

IVRIVM CANDIDATVS DIGNISSIMVS,

qui de vita sua & studiorum ratione sequentia nobis retulit:

Ego, Ioannes Fridericus Scholze, Zittavia in Lusatia Superiori natus die XXI. Decembris Anno Millesimo Septingentesimo Trigesimo quinto, patre Ioanne Friderico Scholze, publico Steurarum ararii Actuario adiuncto, matre vero Anna Rosina Scheler. Literarum prima fundamenta vt & religionis christiana principia statim ab incunte etate presertim a patruale meo, Godofre-

fredo Peschelio edidici, donec capax essem, ut Anno 1748. in Gymnasium vrbis paternæ recipi potuissem. Ab eo tempore Gymnasium paternum vsque ad Annum 1758. frequentavi, & praeceptoribus nunquam satis colendis vsus sum Gerlachio, Buchero, Straupitzio, Fröhaufo, Gesselio & Grunwaldo, quem inter cæcicos summa adhuc animi gratitudine veneror. Modo dicto anno MDCCLVIII. relicto Gymnasio Lipsiam me contuli, & sub academiæ regimine clarissimi Belii nomen inter ciues academicos professus sum. Ibi per quinquennium fere commoratus lectionibus viroꝝum doctissimorum interfui, & in philosophia quidem beatum Møllerum, Winklerum, & Gellertum, in mathesi Heinsum & M. Rudolphum, in historia Franckium & Mascouium, in iure autem Baueros, patrem & filium, Breuningium, Sammetium, Frankium & alios audiui. Ante abitum specimen quorundam capitum iuris controuersorum publice defendendi facultas ab illustri Ordine Iuridico Lipsiensi mihi data fuit, qui etiam examine mecum instituto, omnino dignum aduocati munere me iudicauit, ex quibus causis demum venerabilis Vir, D. Henricus Gotlieb Franke, tanquam Comes Palatinus, precibus ad eum factis Anno MDCCLXVII. publicum & authenticum Notarium me creauit & renunciauit, cuius rei confirmationem etiam ab Amplissimo Senatu Zittauensi insequente anno nactus sum. Post reditum in patriam elaborata ex Actis iudicialibus relatione in Praefectura Superiore Budissinensi munus Aduocati Prouincialis Ordinarii in me collatum fuit, quo facto vsque ad hoc tempus

cau-


causas in foro non sine prospero successu peregi. Tandem iura municipalia urbis Zittaviensis acquisitus, Deputatus, civitatis a Senatu Zittano electus sum, cuius insuper in me collata beneficia tot tantaque sunt, ut eorum memoria & grata recordatio nullo tempore interitura sit.

Cum igitur Noster huc usque optime res suas egerit, studiorum fiducia fretus, nostram perantiquam accessit Hieranam, ac desiderium suum summorum in utroque iure adipiscendorum honorum ordini nostro literis eum in finem exaratis, aperuit, seque ad subeunda consueta examina obtulit, ad quæ admissus, textus iuris solide interpretatus est, & responsionibus suis nobis adeo satisfecit, ut omnium calculo dignissimus fuerit habitus, qui ad Gradum Doctoralem cum laude admitti possit. Cum vero ad finem hunc consequendum, publica adhuc restent specimina, illa futuro die Mercurii die VI. Aprilis hora IX. matutina expedit, ac primo ad l. rei. §. i. ff. de solut. commentabitur, deinde vero Auspicalem suam Dissertationem,

DE
POTIORIBVS EX DOCTRINA DE PROCV-
RATORIBVS CAPITIBVS

**

meo




meo sub præsidio contra dissentientium obiectiones defendet. Quibus actibus solemnibus, vt Reuerendissimus & perillustis DN. Procancellarius, omnium ordinum Decani, Seniores, Adseffores, Professores, Doctores, Licentiati, Magistri, vnacum ciuium Academicorum concione, interesse velint, ea qua decet, submissione, ac obseruantia rogantur & inuitantur. Publ. Fer. i. Paschal. MDCCLXVIII.

L. S.

TK 3624 OK

X 2380157

nc





PERANTIQUÆ ELECTORALIS ACADEMIÆ
ERFVRTENSIS

RECTOR

MODO ORDINIS IVRECONSULTORVM DECANVS
D. RVD. CHRISTOPH.
HENNE, ICTVS

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CON-
SILIARIO REGIMINIS ORD. ICTORVM ET IVDICII ELE-
CTOR. PROVINCIAL. ADESSOR NEC NON CODICIS
ET IVR. FEVDAL. PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIVS,

SOLEMNIA INAVGVRALIA

NOBILISSIMI ET CLARISSIMI IVRIVM CANDIDATI

DN. IOANNIS FRIDERICI SCHOLZE,

ZITTAVIA - LVSATI,

ADVOCATI ELECT. SAX. IMMATICVLATI

AD DIEM VI. APRILIS. MDCCLXVIII.

IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI
PERAGENDA

INDICIT,

SIMVLQVE DE

SOLVTIONE IN GRAVIOREM
CAVSAM IMPVTANDA,
QVÆDAM PRÆFATVR.

ERFORDIÆ,
AERE HENR. RVD. NONNII, ACAD. A TYPIS.